MVSARVM ARCHITECTVRA

In Vrbeuetani Templi deſcriptionem

AVCTORE
HYACINTHO HVRANDO
E SOCIETATE IESV

Humaniorum Literarum Vrbeueteri
Profeſſore.

Bibliothecae Soc. Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VRBEVETERI
Typis Rinaldi Ruuli, M. DC. XXXII.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

34. 5. F. 10

Imprimatur ſi videbitur,

Admod. R. P. Deputato à Reuerendiſsimo Sac. Pal. Mag.
Dat. hac die 6. Iulii 1632.

Cerronius Vic. Gen.

Imprimatur,

Fr. Petrus Biſenzus Prædicator Generalis, Prior S. Dominici, ac Reuerendiſs. Sac. Apoſt. Pal. Deputatus.

Digitized by Google

Eminentiſsimo Principi

PETRO PAVLO CRESCENTIO

S. R. E. Cardinali Ampliſsimo Vrbis Veteris Antiſtiti.

HIERONYMVS POLLIDORVS.

CVM eruditam Vrbeuetani Templi Deſcriptionem ab Humaniorum literarum Profeſſore publicè habitam auribus excepiſſem, eandem priuato ſtudio relegendi oculis tanta cupiditas fuit, vt eam per filios meos Profeſſoris eiuſdem auditores deſcribi mihi curauerim, & ad me afferri: quam cum ſæpius ſtudioſè perlegiſſem, non eam priuatis obliterandam tenebris, ſed publica donandam luce exiſtimaui, cum preſertim communibus omnium votis id expetentium Illuſtriſsimi Magiſtratus accederet ità imperantis auctoritas. Illam igitur quæ Sponſæ tuæ ornamenta deſcribit tibi tuarum quaſi nuptiarum Epithalamium dicamus, atq; ità nouum hoc ſydus quod in Vrbeuetano Cælo repentè eluxit, licet in Purpureæ Maieſtatis tuæ Sole tenebras ſibi ſentiat offundi, benigno tamen Crescentis Lunae beneficio certiſſimum ſperat vel media vetuſtatis nocte meridiem. Vale.

Digitized by Google

PARS EXTIMA.

QVÆ ſuper intextis moles operoſa metallis
Stat Veteri ſpectanda foro? dextrane peractum
Aligerum defluxit opus de cardine mundi?
An te Cyclopum diuina Palladis arte
Effinxere manus? ſiculaq; incude relicta
Pro te nudatis deſudauere lacertis?
Nunc age. fama canat nota delubra Dianæ
Altaque Pyramidum miretur culmina Memphis
Tu neque barbaricæ ſenſiſti incendia dextræ
Nec tibi Niliaco digreſſus litore fluctus
Fundamenta quatit; ni forte in cordibus ignes
Semper alas, vel te lacrymarum flumine mergas.
Adde quod illa ſuos ornant male debita Diuos;
Te Cæli commendat amor: Qui ſingula verſet
Tantum Templa feret, quantum diſtare Deorum
Numinaque vario venerantur Pectora ritu;
Sed quæ prima ſacri fuerint exordia Templi
Muſa refer; dulci (non ſentis) æmula plectro
Aſtra, & vocales reſponſant cantibus Orbes?
Tempus erat, quo Trinacrij ſcelerata tyranni
Prælia formidans Veterem deuenerat Vrbem
Vrbanus, portaſque, & inexuperabile vallum
Hoſtis in inſidias validis compleuerat armis.
Nec belli furor humano ſe continet auſu;
In Cælum pugnaſſe iuuat. Nam munera Chriſti
Qui gerit in terris Manfredi Principis ira
Tela timet, ſed ſunt innoxia ſanguine tela?
At Deus ipſe, Deus terras qui fulmine terret
Frugis in orbe latens Vulſinia lintea ſacro
Sanguine perfundit, cæcique infida Miniſtri
Corda Dei corpus telo grauiore cruentant.
Fama ſonat, Veteremque volans perlabitur Vrbem
Audijt Vrbanus: celeri Vulſinia greſſu
Templa petit, lacrymaſque Deo pro ſanguine reddit,

Quem

Digitized by Google

Queis oculi ceu vulnus erant; amor ipſe ſatelles.
Circumfuſa ruit Veteri procul Vrbe relicta
Lecta manus Procerum, Populique ardentius agmen,
Supplicibuſque patent recluſa ſacraria turmis.
Vtque oculis compreſſa fames, ſtudiumque videndi
Sanguinolenta rogant Patria intrà mænia ferri
Lintea, Marmorea dehinc Virginis aede locari
Scilicet vt Chriſti quo fluxit fonte perennet
Riuulus, & ſeruet, materno in lacte cruores.
Annuit Vrbanus; ſacroſque ex Vrbe miniſtros
Acciri iubet, & feſto per compita plauſu
Ferre triumphantem, ſed non ſine vulnere Chriſtum.
Anteuolant vexilla Crucis, ſuſpenſaque pallet
Effigies; circumpoſitæ dant lumina ceræ
Atque accenſa natans nutrit ſpecularia Pallas.
Hinc, atque hinc gemino procedunt ordine Patres,
Quorum humeros niueo vittata obnubit amictu
Carbaſus, & texto criſpata volumina lino
Candidiora fluunt, & talos margine lambunt.
Innodum quæ zona legit, læuamque maniplus
Inſtruit auratus; pendet ſtola ſerica collo.
Et cinctu ſubnexa leui torquata reuincit
Pectora, tum villoſa chlamys demiſſa per armos
Terga, ſinumque tegit, Phrygioque reſulget in auro.
Pars gerit ardentes ceris candentibus ignes.
Pars numero diſtincta pari diſcrimina cantus
Edit, & aſſultant alternæ murmura vocis.
Tum Veteris decus omne Chori, Latijque, Senatus
Purpurei Patres properant capita alta ferentes,
Et niuea intextis aduelant tempora mitris,
Quos inter Pater Vrbanus Sol aureus inter
Aſtra minora nitens totum ſupereminet agmen
Purpureum geſtans perfuſo ſanguine Linum.
Ventum erat ad Templum, quod nobile Virginis ara
Extulerant, ſed vilis adhuc & neſcia Cultus
Prima domus gremio populos anguſta premebat.
Erubuit Regina Poli, riſitque videri

Cui cæli ſpatia ampla patent, in gloria terris
Templa dari, Diuamque coli ſub paupere tecto.
Ergò vix longè ante alios fumantibus aris
Procidit Vrbanus, Veteriſque veterrimus Vrbis
Acceſſit Senior lateri, Linumque cruentum
Thure vaporato, & nitido coluere metallo.
Protinus ante oculos cum ſe tulit ipſa videndam
Magna Parens, tacitoque animos perlabitur æſtu;
Mirantesque ſenes dictis compellat amicis.
Vos (inquit) Veteris quibus inclinata recumbunt
Iura vrbis, celſique manet quos cura ſenatus.
Heù nimis humanos dum deſudatis in vſus
Spernitis aſtrorum cultum. Non cernitis Vrbem
Ciuibus excultam magnis, opibusque ſuperbam?
Quæ nitidos poſtes, celſisque palatia ſaxis
Fulta colit; Nec eam magnæ decora alta Parentis
Sollicitant? non tangit amor? non cura remordet?
Ergo alijs diues, mihi pauper, & indigna ſoli?
In reliquos largitur opes; modò diruta ſeruans
Mænia, & è ſcabro pendentia culmina topho?
Irriguas modò ducit aquas, æternaque tectis
Fundamenta locans, inopum diffuſa cateruis
Dona laboratæ Cereris, gratique falerni
Dat latices; operumque illi nec meta, nec ordo eſt?
Me tamen inculta donatam ſede relinquit,
Dum Ciues tecta ampla colunt? mortalibus ergo
Suppetit aula capax: vni mihi deficit ædes?
Det Templum, dignasque meis cultoribus aras.
Ipſa operi preſens adero, primosque labores
Excipiam; hinc me venturos pia turba per annos
Hæredem firmabit opum, & ditiſſima cenſu
Prædia, perpetuoque mihi dabit Oppida dono.
Dixerat; & voces Diuinæ Virginis ambo
Excepere ſenes, medioque in pectore verſant.
Nec mora; prima leui ſignatur imagine tela,
Deſignatque locum Templo, formamque figurat.
Tecta annoſa cadunt, altamque reuulſa ruinam

Dat

Dat domus, & latè tellus effoſſa dehiſcens
Fundamenta capit; primo lapis vnus, & alter
Vrbani iactu ſtetit: indè reciprocus ardet
Plebis amor; pars ferre trabes, pars cædere ſiluas
Gaudet, & oppoſitas dextris excindere rupes.
Huc etiam innumeræ cæli de cardine lapſæ
Aligerum venere manus, & Virginis ædem
Extruere, & primos inſiſtere poſſe labores
Quiſque cupit: iam feruet opus; ſtudioſa reſultat
Cælituum Pubes; vlla ſine lege vagatur;
Sed temerè non præſtat opem, nam certa labores
Expediens incerta volat; ſtudiumque placendi
Ex legi lex eſt, & neſcius ordinis ordo.
Ante alios Gabriel, cui magnæ cura Parentis
Demandata olim; geſti modo ſeruat honorem
Muneris, & Dominæ cultus, & Templa gubernat.
Indomitos ſilices, & ſaxa imperuia ferro
Diſſecat, immanique ſolum fodit ipſe bipenni.
It fragor, & crebris reſponſant ictibus auræ.
Quales Lemniacis agitant incudibus Aetnam
Cyclopes, vel cum flammantia fulmina cælo
Exacuunt, duram vel Mulciber Ægida cælat.
Interea premitur congeſto pondere tellus,
Quamuis ſupponat dorſum lapidoſa crepido,
Quæ ſuper impoſiti geſtaret culmina montis.
Iamque domus Nubes lambit; iam proxima Diuûm
Tecta ſuperfulgens circum luſtrare videtur
Annona contemptum tollatur in æthera Turris
Altius, & circumfuſo caput aere cingat.
Et vix quarta aderat maturis frugibus æſtas,
Primaque naſcenti properabat Olimpias anno,
Cum tota erecto conſurgit vertice moles,
Pandit & æterna ſpectacula maxima pompa.
Quid primum, mediumque feram; quæ meta canenti?
An Mauri poſtes, liuenti, an marmora vena
Suſpenſaq; trabes? luſtrantes omnia dudùm
Defecere oculi, nec dum per ſingula currunt

Suſ-

Suffecere gradus : primum venerabile dicam
Frontis opus quo non aliud, vel pulchrius Orbi
Maieſtate fuit, vel fuluo ditius auro.
Scilicet hic vario facies vigilata labore
Materia meliore micat, nec dicere fas eſt
Qualis honos : tantum quod opus mirabile formàt
Aut totum gemma eſt, aut ſaxa ſimillima gemmis.
Hic Lybicus, Pariuſque lapis, ſignataque guttis
Marmora Thebarum fulgent, & ſaxa Laconum,
Quæque metalliferis miſerunt eruta venis
Picturata Phryges, oſtroque rubentia Memphis,
Et maculis diſtincta Chios, variata Syene
Alba Thaſos, Lesbos nigra, & rorata Caryſtos.
Septenos videas valuas vigilare ſuperbas
Ante gradus, latos aperit dehinc area fines.
Et parili frontem, muroſque coronide cingit
Erigitur facies Soli conuerſa cadenti
Qua pandit ter ſecta aditus, & robore duro
Intextæ ſtridunt ferrato cardine portæ.
Quantus liminibus decor eſt? ſinuatur in arcus
Cælatura operis; curuato e marmore ſurgens
Ter niueos ambit ſpiralis faſcia poſtes.
Quà ſtria contexto ſtat teſſellata lapillo
Marmoreumque caput, flectit ſe concolor albæ
Spira niui; mixtis baſis eſt alabaſtrina venis,
Et ſuper ingeſtis ſupponit terga cilindris.
Marginat extremas dehinc Zona nitentior oras
Quæ baccis diſtincta virens animata ſigillis
Turget, & exciſo fulget ſatiata metallo.
Tum paries ſculpto ſignatas marmore formas
Excipit, & quæcumque manus raſere Myronis,
Aut Policletæo ſpirarunt ſigna labore
Ordine diſponit; varioque Emblemate fingit
Ora Patrum, Vatumque, & amictum corpore Numen.
Hic Deus in campos effundit Bruta, Volucres
Expedit in pennas, in ſpiras lubricat angues
Squammiferoſque greges natiua per æquora ſoluit.

Digitized by Google

Hic hominem cano format, dextraque figurat,
Aeternoſque animos diuino ſpirat ab ore;
Inde iubet ſomno vigilantes mergere curas
(Artificis miranda fides) coſtaque reuulſa
Fingit Euam: muto credas in marmore ſenſum
Diuinas ſeruare manus, digitiſque ſubeſſe
Ingenium, lateris rapiunt dum vulnere coſtam.
Hic viret intactis arbos ditiſſima pomis,
Quæ rapuiſſe nefas, Serpit tamen inuidus anguis
Poma inter, nec poma rapit, ſed pectora mordet
Accedentis Euæ, vetitum cui carpere malum
Suadet, & incauto munus deferre Marito.
Hoc vbi primæui ſcelus exitiale Parentes
Expendere, loco, cui nomina prima Voluptas
Indidit, & primos duxit Sapientia ſulcos,
Amouere gradus, lætiſque in collibus Heden
Excubat ante fores ignito feruidus enſe
Aliger, & miſeros fatalibus arcet ab oris.
Hinc vultus ſudore madent, hinc fœmina languet
Dum parit, & digitis fuſumque columque fatigat.
Cernitur inde Cain germano iunctus Abelo:
Ille ferens olim quæ legerat vbere gleba
Poma Deo; niueos aris hic deuouet agnos,
Quos flammæ fratris neglecto munere lambunt.
Sed nutrit ſub corde facem, quæ defuit aris,
Quam cruor extinguat; fraterno ſanguine tellus
Diffluit, & gemitu nubes clamante penetrat.
Hic Iubal pulſat Citharam, tentoria Iabel
Hic locat, hic incude premit Tubalcain æra.
Cætera quid referam? labor eſt memorare figuras,
Et veterum monumenta Patrum, & vigilantia cœlo
Somnia, ſacrorumque arcana oracula Vatum.
At parte ex alia conſurgunt æmula vero
Marmora, quæ Deus in noſtras dilabitur oras:
Et cunas legit in ſtabulo; tum prima videtur
Spirans infantis ſignare crepundia ſaxum.
Proſequitur vitæ ſeries, dehinc ordine longo

Pœnarum facies riget, & funeſta minacis
Inſtrumenta necis; media inter funera pallet
Qui mortem vita, tenebras qui lumine ditat.
Non procul effractis Pubes numeroſa ſepulchris
Rurſus agit vitam, cinereſque capacior vrna
Euomit; vt videas varias diffuſa per oras
Oſſa ſimul iungi: paulatim ducere neruos
Carne ſuperducta, atque tumeſcere ſanguine venas.
Vitæ idem cenſus, ſed non amor omnibus vnus.
Pars mortis fatale malum, quam iudicis iram
Malle docent; pars æternæ cunabula vitæ
Inſtaurata gerunt melioris ſemina meſſis.
Nec mora: tartareis illos malus aliger vmbris,
Hos pia cælitunm ſociarunt agmina cælo.
Illos flamma vorat, ſunt his incendia, ſed quæ
Nutrit amor, queis mens ardet, non corpora feruent.
Noctem illi pro luce, Deum hi pro ſole reportant.
Has ergo effigies, cælataque marmora ſeruant
Quattuor ærato ſimulacra auguſta metallo,
Quæ ſuper impendent: hic Bos ferit æra cornu:
Proximus aſſultat pictis Iouis Aliger alis.
At contra fremit ore Leo, duroſque per armos
Effundit ſine more iubas, ſurgitque retortis
Cauda voluminibus, villoſaque terga flagellat.
Extremus ratione potens, & corpore preſtans
Vir nitet, & magnæ foribus vigil excubat arcis.
In medio maiora patent quà limina Templi
Virgo ſedet; nimium tollunt tentoria Solem
Ærea, & aſtriferi pandunt velamina Ciues.
Stant ſupra triplici partiti ex ordine flexus
Marmorei, qua tergemina ſe fronte recuruat
Linea, & in ſpatio ter flectitur angulus æquo.
Vermiculata pares reddunt hic ſaxa figuras,
Mixta coloratæ teſſella nec inuidet arti.
Cernitur ad liquam delabi remige penna
Nuncius Aligerum, tum longa vtrique Parenti
Vota, & leſſæ partum deferre Puellæ,

Et iam

Et iam primæui delibat luminis ortum
Pupula, ſpirantemque effingit marmore frontem.
Deſuper effulgens ternas quoque margi nat oras
Signatus paries, pictoque Emblemate textus
Virginis effigiem præbet, cum firmior annis
Vt cælo defixa animos, ſic lumina terris
Templa ſubit, gradibus veſtigia figere dicas:
Vota nec è ſaxo, ſed vero è pectore fundi.
Parte alia dat Virgo fidem, dextramque Ioſepho
Dulcè ligat, magno quem legerat omine cælum.
Ora vtrimque rubent, comitatur vtrinque iugales
Virginitas, geminaſque intexit fronte coronas.
Infrà iuſſa refert Gabriel, Diuamque ſalutat,
Illa timet, parioque in marmore pallet imago;
Donec inexhauſto diuini flaminis oeſtro
Fiat ait, quod Numen amat, quo sydera verbo
Rore fluunt; nubeſque effundunt Numinis imbrem,
Germinat & tellus optatum ex æthere florem.
Huic ſubſtant Iordanis aquæ laticeſque niuales
Ingreditur Chriſtus, flauos Baptiſta capillos
Abluit, & vitæ condit ſub flumine fontem.
Altius extremo triplex ſe linea nexu
Iungit, & in Cælum nitida ſe nube ferentem
Chriſtum habet, vt rediit rediuiuus ad ora Parentis,
Et quinos æquat quino ſub vulnere ſoles.
Cui Regina ſubeſt parili ſubuecta triumpho;
Nempe comes natum ſociare per aera gaudet.
Illam pennati Proceres famulantibus alis
Excipiunt magnam celebrantes carmine Diuam.
Quid referam niueis mox interſecta columnis
Atria, quæ mediam cingunt nitidiſſima frontem.
In ſpeciem curuata rotæ, quid vitrea dicam
Lumina? Biſſeni celſo ſtant vertice Patres
Iſacides, totidemque latus ſimulacra coronant.
Quà tamen interior picta nitet Angulus arte
Quattuor efformat Patres teſſella latinos.
Vos quoque non ſileam candenti ex marmore conos,

 Qui

Qui fertis ſuper aſtra caput, queis quattuor arcis
Aut turres in mole, aut arte, & diuite luxu
Delicias dedit eſſe Faber; dicam ne minaces
Vos caui ſcopulos, vbi ſæua procacibus euris
Agmina ventorum impingunt, & naufraga languent?
An vos Niliacis non inuida molibus Vrbis
Mauſolæa canam? tantoque in vertice fulmen
Vos colit; aufugiunt & inhoſpita tecta volucres.
Hinc, atque hinc latera aſſurgunt, & marmore mixto
Picta nitent: geminæ vigilant ſimulacra Sibillæ
Veſtibulum ante ipſum: dehinc longo mœnia tractu
Aut nubes faciunt, aut exæquare videntur
Diſpoſita muris rutilant fulgentibus antes;
Et curuata ſuper faſtigia ſumma lacunant
Robora, quæ ſeruant decoctæ munera cretæ;
Qui vero geminus ſuprà patet angulus, ædem
Explicat, & latè producit cornua ceu Crux,
Quæ biſido effundit pendentia brachia ligno.

PARS INTIMA.

IAMQVE per interiora iuuat ſpectacula Templi
Pierijs properare modis: tu Virgo canenti
Aſſ[illegible]onem, & mecum numeros ordire ſupremos.
Terna per ora patent [illegible]? ſubiectaq; longis
Atria panduntur ſpatijs: ampliſſima præſtat
Quæ media eſt, vaſtumq; interſecat area Templum
Poſt aditum vigilat transfixus pectora telis
Miles, & in ſculpto meditatur vulnera ſaxo.
Britius hunc ſequitur: contrà Conſtantius ardet,
Vicinum ſeruans aduerſo limine Rocchum:
Quà tamen ærato voluuntur cardine poſtes;
Et primum latè tergum domus intima pandit

Pegna-

Digitized by Google

Pegnata culta nitens, & mania celſa columnis
Nixa quaterductis Moles compactilis ornat,
Quæ vincit candore niues, ſed ſubligat auro
Et caput, & ſpiram, flexaſque in fronte coronas.
Stant ſupra variæ vitam quæ in marmore fallunt
Effigies: micat in medio par nobile Diuum
Nudum humeros, ſed amictum alis, & remige penna.
Explicat hic placido Matrona veterrima vultu
Relligio vexilla Crucis, pateramque nitentem
Sacrorum Regina gerit, qua Numinis aras
Obſequioſa colit, dum pectoris eliquat igne
Thura Deo, & Diuos Cæli populatur odores.
Hic Pietas quàm mitis adeſt? qua fronte ſerenat
Nubila mærentum? teneros cui cura gemellos
Complecti: nam lacte fluens huic mamma perennat,
Hic dextram non æqua ſequens veſtigia dextra
Implicat, intentuſque piæ tenet ora Parentis.
At iuxtà ſpes alma vigens, & conſcia Recti
Iuſtitia extremo laterum ſe fornice tollunt:
Deſuper Hebræus vaſti ferit ora Gigantis
Funditor, & rapido lapides torrente petitos
Dum iacit, euerſa Terebinthus mole laborat.
Contra ardet Iuditha, & bellica gaudet Amazon
Tela leui tractare manu; fortiſſima ſæuit
Fœmina, & Hoſtilem ſitit irrequieta cruorem,
Et iam barbarico condit ſub pectore ferrum,
Sanguineoque natant perfuſa Toralia riuo.
Mole ſub hac, maior quà proxima limina ambit
Aula, patent gemini cælato è marmore fontes
Luſtrales ambo latices, lymphaſque piantes
Curuato ſeruant gremio: cæleſtibus ambo
Muneribus dites: hic pura diluit vnda
Infantum prima ductas ab origine ſordes.
Ille renaſcentis delet contagia culpæ,
Et media dum fronte fluit, ſe in pectora verſat.
Non tamen æquus honos; non eſt decor omnibus vnus:
Scilicet antiquas cui fas detergere labes

Altius

Digitized by Google

Altius aſſurgens, & flexi fornicis arcum
Vertice contingens alabaſtra recurvat in orbem,
Mixtaque puniceis albeſcunt marmora ſaxis;
Quæ bis ſecta ligat quater angulus; vndique pingit
Coniferos apices pretioſi vena metalli,
Compagemque voluminibus diſtinguit eburnis.
Octoni ſuper ingeſta ſub mole Leones
Terga premunt, textiſque quater ſe cedrina pandunt
Oſtia liminibus, gradibuſque adeunda ſuperbis
Ianua luſtralis ducit pro cardine gemmas,
Inſertaſque trabes flavo diſcriminat auro.
Fons alius qui mole minor, minor emicat arte
Marmore conſpicuus puro tantum extima flectit
Saxa, laboratis diſtinguens ora puellis.
Qui tamen è gremio liquidas emergit in auras
Cæleſtis lapis, aut Cælo fluxiſſe piantem
Teſtatur laticem, aut celerem præſtare volatum
Queis iter in Cælum eſt, ſuperumque reciproca vitæ
Munera ſortiri, qui crimina delet in vnda.
Non aliter quos priſca fides mortalibus olim
Eripiens fatis, æternis intulit Aſtris,
Amne prius fuerant quæcumque obnoxia morti
Conſperſiſſe canit, Divoſque afflaſſe nitores.
Solvitur in longum dehinc area maxima campum
Cædentemque ſinum ſpectantibus aula relaxat
Maior, & immenſi pandit conclauia Templi.
Hinc atque hinc pariles æquato margine muri
Atria terna ſecant, ſpatiumque tricorporis ædis
Plus æquo mediæ ſeruent, vtrimque minori
Sede latus claudunt; flexos ductique per arcus
Biſſenas onerant lapidoſa mole columnas.
Illæ ſuccedunt oneri, dorſoque cubantem
Excipiunt tholon, & trabibus laquearia textis
Educunt cælo, & ſtellatis orbibus æquant.
Forte vel aſtriferas arces Atlante remiſſo
Ferre humeris, vel quà ſiculus ceruice rebelli
Enceladus detrectat onus, Cælumque laceſſit.

Ignibus,

Ignibus, ætnæos apices, ſcopuloſque peruſtos
Suſtentare queant, cælumque Ætnamque ferendo
Edoceant, vel cultu operis, vel culmine vinci.
Scilicet Auguſti radiant faſtigia tecti
Inuidioſa polo; nec ſolo vertice præſtant;
At molem comitantur opes: Emblemate multo
Culta nitent, varijſque animata coloribus ardent,
Vel pictis ſtellata roſis, cælataque Cælo
Vernant aſtra ſuo; ſed nulli prendere viſu
Culmina, & antiquas oculis luſtrare figuras
Sorte datum; nempe hoc etiam tholus inuidet aſtris;
Vt velut à noſtris nimium quæ diſſita terris
Deperdunt in Sole diem, frontemque tenebris
Obducunt, cæcamque timent in lumine noctem:
Sic picturata præclarus Cyclade vertex
Altum adeo attollit caput, vt vel lumina fallat
Vel proprio fulgore tegat quas continet artes,
Sitque ſibi pariter qui lucifer, heſperus idem.
Quid dicam rupes meliori Tybure raptas,
Queis paries nitet interior? quid fornicis alti
Conuexa, & patulis albentia marmora quadris.
Mutulus e muris diſponitur; eminet ingens
Proiectura coronarum, quà peruia greſſu
Semita pennatos irridet culmine curſus,
Flexaque per totam teritur via ductilis arcem:
Quà tamen inferius diffunditur impetus aulæ:
Sternitur, & rubris effulget nobile ſaxis
Immortale pauimentum, cruſtiſque niteſcit
Compoſitis ſine more, lithoſtrotumque lapillis.
Hic duodena patent, totidemque innixa columnis
Iſacidum ſimulacra patrum queis Numinis ora
Cernere, ſectarique dedit veſtigia Cælum.
Verſicoloris ſupponitur inclita venis
Ante baſis, magnaque eductis mole coloſſos
Excipit, & tanto ſub pondere preſſa fatiſcit.
Ordine primus adeſt, fuerat qui munere Princeps
Petrus; nempè lapis, quo tota innixa recumbit

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiadum moles, cui Clauiger aſtra recludit.
Contrà fax Diuum, cæli tuba, lucifer orbis
Paulus agit, patulas texunt hic abiete coſtas
Pulpita, cælatiſque cauant ſimulacra tigillis:
Hic Paulo par ſede, ſed Oris munere diſpar
Myſta ſacras fundens pia per ſolemnia voces
Aut animos Cælo trahit, aut in pectora Cœlum.
Hic Bifidæ Crucis antiquos meditatur amores
Andræas capiturque ſacro piſcator ab Hamo.
Non procul æquali ſpectandus ſede Ioannes
Iacobo cum fratre viget, vultuque videntur
Vt tonitru geniti, ſic fulminis eſſe parentes.
Proximus inciſas cultro deponere pelles
Bartholomæus amat, cui purpura murice fulget
Sanguineo, Chriſto Regi quæ concolor eſſet.
Tu quoque fulmineam Mathæe in cordibus haſtam
Excipis; hic mucrone Thomas, hic fuſtibus alter
Iacobus cadit, & ſimili ſibi funera condit
Arte Simon, ſociumque necis ſibi poſcit Iudam.
Eminet ante alios præſtantior ore Philippus
Cui noua ſucciſo decreuit vena metallo,
Sollicitaque manu naturam ars inuida luſit.
Spirant ſaxa animos; arrectas allicit aures
Dextra patens; vix luce oculi, vix ora fluenti
Voce carent, geſtuque loqui ſub marmore dicas.
Non ſecus, ac dulci, verborum flumine mentes
Gallicus Alcides rapuit, totidemque catenis
Quot dederat voces famulantia pectora vinxit.
Iamque minora vocant pulchra ad ſpectacula cantus
Atria, quæ quinas diſponunt ordine Cellas;
Et totidem aurato ſeruant altaria muro.
Prima ſubit læuo lateri ſpectanda Tonanti
Sacra Paleſtinas cum primùm viſeret oras,
Atque maritalis coleret conuiuia Canæ.
Expediunt menſas famuli, mantilia tonſis
Subſternunt villis, epulaſque, & pocula ponunt
Accumbunt omnes dapibus, nec opima vorantes

Dona

Dona ſitim pellunt, plus æquo haurire lyeum
Nam libet, infectoque recedit munere Bacchus
Deficiente mero: ſed cui Diuina perennat
Vena boni, æternos non exhauſtura liquores:
Oblatas permutat aquas, lymphiſque colorat
Vina recemiſero multum inuidioſa Falerno,
Hinc noua tela patet, parilique ornata ſacello,
Et pia deſignat triſti properare Naimo
Funera: Defertur prima florente iuuenta
Innocuus puer, orbatæ quem fata parenti
Abſtulerant, rapto hæc olim quoque mæſta marito
Vulnera bina refert, mortem bis paſſa ſuperſtes,
Dum thalami, proliſque rogos face concremat vna.
Flectitur aſpectu Chriſtus dirumque feretrum
Siſtit, & elapſam reuocans in pectora mentem
Spirantem reddit fuſæ in ſuſpiria Matri.
Proxima languentem præbet, qui clara ſuperbis
Atria porticibus magni prope limina fontis.
Pene quaterdenos fruſtra protriuerat annos.
Ille tremens iacet, & ſuperis dum cernit ab oris,
Qui Sacros agitet latices deſcendere Ciuem,
Si pede tardus abit, præcurrit corde ſalutem.
Huic Chriſtus ſurge inclamat, qua voce recepto
Robore conſurgit, nec dura ſubire recuſat
Pondera, qui fuerat ſibi nuper inutile pondus.
Ara dehinc ſequitur qua ſindone contegit artus
Lazarus, & condunt tumidos ſudaria vultus.
Cui pretioſa licet ſeruent opobalſama corpus
Fætet adhuc, medioſque inter tabeſcit odores.
Numen adeſt, redditque in putria corpora ſenſum.
Ante tamen ruit in lachrymas, quas forte ſororum
Fletibus addicat ſocias, vel ploret amici
Rurſus ad humanos animum reuocare labores.
Inde iuuat quintæ ſpectare Sacraria Cellæ.
Hæc hominem pædore grauem, multiſque fluentem
Sordibus ante Deum ſiſtit, qui lumine captus
Fruſtra oculis tentat communem reddere ſolem,

 Queis

Queis cæcas obducta facit membrana tenebras.
Illum exorantem deflexo poplite tangit
Chriſtus, & optatam tactu dat cernere lucem.
Iamque patet dextrum Templi latus: Explicat aras
Diſpoſitas numero in Cellas; & prima precantem
Signat tela Deum, cum mæſta effundit in horto
Vota Patri, & gelido madidus ſudore querelas
Orditur lachrymans, & ſanguinis imbre perorat.
Ille genis, & fronte fluens, pectuſque cruentans
Fundit opes ſimul; & guttis gemmantibus ornat.
Non ſecus ac Tyrio purum violauerit oſtro
Si quis ebur, rubris vel lilia mixta roſetis.
Circumſtat Romana Cohors, cui dira rigeſcit
Telorum ſeges, & denſo premit arua maniplo,
Inſontemque rapit; tum collo ſtupea nectit
Vincula: Tantæ molis erat vincire Tonantem:
Proxima Cella iubeſt, quę nudos Numinis artus
Arte tegit retegens, teretique reuincta Columnæ
Brachia contorquet, duris tum corpora virgis
Icta gemunt, & flagra feris hamata catenis
Pectora dilacerant; liuentia membra rubeſcunt
Sanguine, & vndanti ſulcantur vulnere terga.
Nempe immitis habet tam culta Noualia miles.
Tertia transfixum curuatis tempora dumis
Numen habet: medijs frons auguſtiſſima vernat
Sentibis, effuſoque roſas in ſanguine pingens
Florida roranti texit diademata nimbo.
Senſum ſpina capit, quem pectoris arce ſatelles
Expulerat, minus illa ferit; ſed arundinis ictu
Iſte furit; vulnuſque facit, cui ſpina pepercit.
Non longè ſpectare pari libet ordine quartam.
Hic humeris ſua regna gerens ſupponit amico
Colla iugo Chriſtus, nec dulcia ferre recuſat
Pondera, quæ in currum ſibi ſternat ab hoſte triumphans.
Miles agit pompam; murmur ferale tubarum
Aſtra ferit, Romana volant vexilla per auras,
Et furor, & rabies ſoluunt in funera faſces.

Quinta

Digitized by Google

Quinta ſubit tandem magni quoque meta doloris
Vltima, & extremum complectitur ara ſacellum;
Ardua quà languent triſtique fluentia tabo
Golgotha, & albeſcit putri Caluaria Colle.
In medio trunciſerecta trabalibus arbor
Prodigioſa Crucis ſurgens infraque ſuperque
Dum terras radice ambit, iam germinat aſtris
Vertice regali; tum tranſuerſaria ſubdens.
Robora Quadrifido diffundit Brachia cornu.
Suſtinet hæc dura terebratum cuſpide palmas
Traiectumque pedes Chriſtum; nudata tenebræ
Membra tegunt, ſeruant ſi ſaucia membra figuram.
Nunc age: ſecta nitent lucentibus atria Rimis
Fulgidaque in tenues aptant alabaſtra feneſtras.
Mirum opus: Excipiunt radiantia lumina cautes
Interiore ſinu, duro formata metallo
Marmora ad exactam diſcunt molleſcere lucem.
Qua tamen erigitur caput inſuperabile templi
Appendix operoſa domus: faſtigia nexu
Flexa quaterducto totidem curuantur in arcus.
Emicat in medio, primaque in fronte coruſcat
Ara loco princeps, & dignior hoſpite Cæli,
Quem gremio Sacræ Cereris colit orbe latentem.
Effundit ſpatioſa ſinum, ſupraque cubantem
Suſtentat Chriſti thalamum: Stat nobile Pegma
In Templo Templum minus: Auguſtale Tonantis,
Regia Diuinæ ſobolis gemmata curulis
Conſulis æterni, terris dilecta moranti
Aula Deo, aſtrorum motori immobile Cælum.
Illi barbaricas texunt Conopea veſtes,
Felicemque ſinum diuinior arcula ditat
Fæta Deo, multis ornantur fercula gemmis,
Et ſacras ſeruant aurata Ciboria fruges.
Arte micant vtrimque faces: argentea ceras
Candelabra ferunt, ſe Lampas ab arce carinat
Penſilis, & ſeptem geminis dat lumina lychnis.
Hinc, atque hinc videas candenti culta metallo

Surgere ſigna : tenet dextram Caſtiſſima Virgo
Celſa magis propiore Deo ; miratur ab aſtris
Pennatum properare Ducem , vocemque ſalutis
Improuiſa timet , nec Sponſi nupta Tonantis
Eſſe velit , thalamos fugiat , tædaſque recuſet
Ferre maritali dextra , niſi pronuba Sacros
Virginitas , & Diuus Amor iungant Hymenæos .
Ore nitet contra ſtellatæ Nuncius aulæ
Aliger , & teneras pennis diuerberat auras .
Olli fronte decor , roſeus ſtat lucibus ardor ,
E labris afflatur honos , vix purpura lambit
Impubes malas ; intonſo vertice ſpernit
Indociles errare comas ; & pugna leporum
Totum ambit , totum concordi fædere pingit .
Pacem lingua refert , prætendit lilia dextra :
Læua Polum ſignat , teneros complectitur artus
Alba Clamys , variaſque plicatilis errat in oras .
Quid picturatos pretioſo tegmine muros
Perſequar ? & magnæ ſimulantes Virginis ora ?
Siue Infans iacet in Cunis ; ſeu maior amoris
Diſcit adire vias , & mille reciprocat artes :
Siue triumphato ſurgens rediuiua ſepulchro
Aulam ſolis habet, fuerat quæ Regia Solis .
Poſt aram vitreo diſſectum Chaſmate ſaxum
Finditur , & claro radiant nitidiſſima Phœbo
Atria : circumſtant abiegno munere textæ
Patribus addictæ ſedes ; vbi dulcia Cælo
Vota canunt , & prona in laudes aſtra laceſſunt :
Deſuper impendent teneris animata Choraulis
Pulpita , queis reſonant vocali Cimbala cantu ,
Nabliaque argutæque fydes , digitiſque canoris
Sollicitata Chelys, vel docto pollice tacta
Barbitos , & quot quot Templi Choraliſtria pubes
In numeros adigit plectro molleſcere neruos .
Ad dextram ; & læuam ſaxo cælata perennat
Ara minor , maius ſeruans vtrimque ſacellum .
Hanc tenet Eliſabet Diuinæ Virginis alto

Dignior

Digitized by Google

Dignior hoſpitio, cum percita Numinis æſtro
Corde ſonat, canit ore, agitans in prole Choreas.
Læua ſed Eoo properantes limite Reges
Explicat, effuſumque in dona reciproca Cælum.
Mirrham illic, aurumque ferunt, & thura ſabæi.
Hic puer aſtriferi tandens æraria cæli
Fundit inexauſtas in Regia pectora gemmas.
Ornat vtrimque latus ſculpto ſub marmore Chriſtus.
Hic circumſectos humeros, & terga flagellis
Preſſa gerens: hìc non æqui cum Iudicis ore
Victus homo eſt, cæco ſua Numina detegit Orbi.
Ecce autem in geminas diſcinditur area partes
Brachia producens, & celſo marmore claudunt
Extremos laterum ſinuoſa Pteromata fines.
Bina hic oppoſitos flectit ſe cella per arcus
Gratia prima loci: læuam tenet inclita Virgo
Arte pari, non ſede minor, non inuida cultus.
Excubias foribus ſeruant primæua Parentum
Signa, & quos dederant morti vitale videntur
Virginis in gremium miſeros reuocare nepotes.
Vulcano ſudata rigent in poſtibus æra
Quæ rimis diſtincta patent, & limina vallant.
Aſt introgreſſis noua ſe ſpectacula pandunt
Gentibus, & pictis pretioſa aulæa figuris
Aut ſegmentatis ſpectantur marmora cruſtis.
Hic Chriſti nomen ſimulans, atque ora Tirannus
Sæuus agit turmas: ſaxo ſpectabilis alto,
Verba facit quæcumque ſibi malus Ales ad aurem
Suggerit, & pro dite ligat quos Numine ſoluit.
Cernitur aduerſo pate factum limine Cælum
Vltrices iaculare faces, tremefactaque moles
Ætheris excuſſum trepidæ vertiginis axem
Siſtit, & induros qualem torſiſſe Gigantes
Tela ferunt, flammas pluuialibus eliquat alis.
Nec deſunt qui bella ferant, hinc Luna rubeſcit
Sanguine: Sol nigras meditatur pallidus vmbras:
Aſtra cadunt: diri volitant per inane cometæ;

Et totum

Et totum effuſis immergunt ignibus orbem?
Nec mora; miratur paries cinefacta ſepulchris
Oſſa exire cauis, & quondam credita morti
Marmora vitales vtero deponere fætus.
Hinc pænis addicta cohors luit impia vitæ
Crimina vbi extremus furor intonat ore ſeueri
Iudicis: hinc fælix multo ſubuecta triumpho.
Turba Deum dum mente colit, premit æthera greſſu:
Et conuexa tholus qua marginat apſide curua,
In varios effuſa Choros, ad Virginis aras
Corda vel obſequio, vel laudibus ora reſoluit.
Virgo ſedet media, & Diuos complectitur omnes,
Qua cultu micat, & ſolido ſubſternitur auro
Ara, & bisgeminis incumbit machina pilis.
Te quoque non fugiunt mea carmina nobile ſaxum
Quattuor effingens vno ſub marmore vultus.
Hic Chriſti Genitrix crudeli funere natum
Sublatum gremio fouet, & lachrymabile corpus
Mortis habet tumulum, dederant vbi viſcera Cunas.
Illa dolet pallore genas ſuffuſa, perempto
Concolor aſtrorum Regi nam Luna rigeſcit.
Nempe ſimul moritura, ipſique ſimillima morti.
Vix mæſtis ſtat vita oculis; dum ſoluere vocem
In gemitus, in verba putas, dolor improbus ora
Obſtruit, & cogit ſecreta in corda querelas.
Poſt humeros pius affixi veſpillo Tonantis
Excubat, ante ſacros procumbit Magdala greſſus
Et lachrymis aliena lauat queis iam ſua terſit
Vulnera, ſi quondam ſibi prouida, nunc pia Chriſto:
Hæc tamen vna ſilex format, diuerſa figurat
Vnicus ora lapis, ſimulataque corpora Diuum
Materies cognata ligat, qua Gratia formæ
Diuidit, & ſaxum in varios diſcriminat artus.
Iamque per oppoſitum ludit mea Muſa ſacellum;
Claudit, & extremos inter ſpectacula cantus.
Deſuper argutas componunt Organa cannas
Ordine diſparili; luctantes fiſtula ventos

Excipit,

Excipit, & multis animatas follibus auras.
Inflato calami diſcunt reſonare metallo,
Plumbeaque effundunt teneras ſpiramina voces.
Extima inauratis facies ſuffulta columnis
Emicat, atque opibus modulamina dulcia nectit,
Arte ligans aures, oculos dum fallit in auro.
Illi ſanguineo ſubſtat ditiſſima Lino
Cella, cruentatæ Cereris, quæ florida gemmis
Exultat cultore Deo. proh qualis amicas
Ante fores; qualis regnat reuerentia tecto?
Bina in Veſtibulo vigilant ſimulacra, Tonantis
Illud habet ſpeciem, hoc Diuinæ Virginis ora
Fingit, cui Natus reddit prò lacte cruores.
Altius inſurgunt, ſtipantes æthera muri
Et latera attollunt, informatique figuris
Subnixam cingunt ſaxis immanibus ædem.
O ſemper memoranda dies, quæ pectore duxi
Gaudia? Quæ rerum miracula lucibus Hauſi?
Cum primum luſtrare oculis ſecreta tonantis
Lintea, ſanguineaſque datum mihi cernere Guttas.
Surgit inaurato moles compacta metallo
Auguſtos patefacta ſinus. Acroteria pendent
Vertice, & obductis ſtructura innixa cilindris.
Illic in varias accenſa Ellychnia formas
Arte nitent, lucet flammarum diſcolor Iris
Nixa columellis; interpenſiua refulgent
Igne: ſuum ſeruant & vitrea sydera ſolem
Scilicet in medio, gremium qua lucida pandit
Machina, vbi emotos aperit ſera libera poſtes
Sanguineis rorata notis ſe Carbaſus offert,
Carbaſus, effuſos vbi ſanguinis eliquat imbres
Sacra Ceres, quibus infido de Pectore labes
Diluat, & fidei ſeruet monumenta futuræ.
Tum licuit ſuperare gradus propiuſque cruentum
Luminibus legere, & votis attingere Linum.
Argento coelata ſacrum tenet arcula Pignus
Et gremio quas Geſtat opes pretioſa recondit.

Sed

Digitized by Google

Sed pretium vix arca facit, quæ Numinis Oſtrum
Intus alit, ſoliſque in lumine deficit aſtrum.
Vt tamen ante oculos ſeſe viſenda tulere
Lintea ſudato multum perfuſa cruore.
Vt vidi? vt gemui? Diuina exultat imago,
Et bibulas ſcribit telas. Deus ipſe micantes
Euibrare faces, & fulmina fundere vultu
Sæpe videbatur: tum dulcia vota ferentes
Alloquitur Ciues; trepidans Cortina beatos
Excipit accentus, tenueſque reciprocat auras.
Cerne ſuperfuſi libamina ſanguinis (inquit)
Vrbſuetus, & noſtri ſerues monumenta doloris.
Non eſt hic mortis facies, vbi plurima vitę
Semina floreſcunt, non hic inſana cruentat
Ira manus, pulchræ regnant vbi fœdera pacis.
Sunt Cæli ſtellæ, cælant quas lintea, ſtillæ;
Gemmæ ſunt Guttæ; quæ pura monilia nectunt.
Purpura fit ſanguis, ſunt vulnera ſerta roſarum,
Quæque inhonora mihi, ſunt ornamenta meorum.
Tu mihi templa locas? pretium tibi ſanguine ſoluo.
Victima debetur templo? ſit victima ſanguis.
Vrbs Cuſtode caret? ſanguis cuſtodiat Vrbem.
Sanguis erit clypeus, quo tela inimica repellas.
Sanguis erit telum, quod vulnera vibret in Hoſtes:
Sanguis opes, vireſque dabit: tibi ſingula ſanguis,
Omnia ſanguis erit; tandem ceù currus Olimpi
Ipſe tuos Ciues ad ſydera deferet, & quos
Natos vnda dedit, ſanguis mihi reddet amantes.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google